

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0026

0024

0030

0020

0035

0015

0075

0125

0525

1025

Ende

Anfang

15

ad loca nostra transivimus ad manducandum et quiescendum. Illa vice non ascendi cum fratribus ad montem Syon, sed rogatus a dominis meis novellis militibus, ut cum eis illo die in hospitali manerem et aliquem sermonem pro commendatione militiae sacrae eis facerem, quod et feci in hunc modum, licet vulgari et teutonico sermone, cum latino sermone ignari fuerint, dum illi saeculares.

**Exhortatio militum, ut exsequantur ea, ad quae se obligaverunt in susceptione militiae in S. sepulchro.**

Zelus devotionis et Dei magni amoris, milites optimi, in vobis spiritum excitavit, quo tamquam viri magnanimi sic allecti estis ad obsequia Redemptoris, ut vobis delectabile putaretis, velle rem propriam exponere derelicto solo natalis regionis, quaerentes has peregrinas et sanctas, pio quidem moti proposito, ut scilicet loca haec sanctissima venerantes deoscularemini et indulgentias consecuti militiae sacramentis informaremini, in qua sacra militia usque ad mortem fideli certamine contra hostes fidei et crucis aemulos et ecclesiae Dei inimicos luctaremini. In hac itaque pia vestra intentione, precor et hortor, perseverate, et animas vestras, quas pro militiae consecutione in multiplici periculo posuistis, nunc ad executionem ejus viriliter extendite et singula, quae spondistis in militiae susceptione, totis viribus adimplere conamini, et hoc spiritu mentis vestrae renovemini de die in diem, ut semper induti novo homine, qui secundum Deum creatus est, protecti sitis armatura Dei, qua possitis stare adversus insidias diaboli. Accendantur, oro, ut ignis, corda vestra ad zelandum ea, quae Dei sunt, praecipue tamen ad dominici sepulchri et terrae hujus sanctae necessitatibus succurrendum, et affectus auctis pia considerationis ardoribus inflammetur, et sub spe coelestis auxilii proelium Domini proeliate. Accendatur unus quisque gladio suo potentissimo super femur suum ad ulciscendas Dei injurias. En, vident in praesentiarum oculi vestri, quod praeclara nostri Salvatoris haereditas, proh dolor! versa est in alienos; et locus ille sanctissimus, ubi coeli regem Virgo puerpera genuit, locus Redemptoris nostri pretio-